



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 35. Pars Regni a Galliarum Rege perlustrata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.  
A.C. 1442.

§. XXXIV.

*Marci Ephesini obitus.*

**I**nde tamen nonnullum saltem emolumentum Ecclesiæ accessit; quippe, cum Marcus Ephesinus, acerrimus unionis impugnator, iterum a Bartholomæo Florentino superatus ac confusus esset, omniumque judicio, qui a partium studio alieni erant, ejusdem argumentis satisfacere haud posset, tam vehementem iracundiam, tantamque animi mæstitiam inde concepit, ut contracto morbo paucos intra dies animam exhalaret, tam pervicaciter in sua perseverans sententia, ut hos omnes, qui unionis decreto subscripserant, a suis exequiis abesse juberet, nec pro anima sua preces ad Deum ab iis fundendas se desiderare, palam profiteretur.

§. XXXV.

*Pars Regni a Galliarum Rege perlustrata.*

**I**n Francia Galliarum Rex indefessa sollicitudine Andegavensem, Pictaviensem, & Santoniensem Provincias percurabat. Ubi Salmurium pervenit, Britannæ Ducis Legatos excepit, pluresque arces in Pictaviensi agro sitas sibi tradi cura-

curavit, in quibus nonnulli Optimates numero-  
 meros prædonum manipulos alebant, qui in hanc Provinciam violenter grassari  
 solebant. Cum vero Lemovicum attigisset, ad aures ejus delatum est, a Principibus  
 adhucdum adversus Regni administrationem secreta fabricari molimina,  
 atque eo consilio Aureliæ, Burgundiæ, Borbonii, & Alenconii Duces Niverni  
 congregatos, ut communi consilio inter se conferrent de opportunis mediis,  
 quibus prætenso honorum gradus suis meritis, ac generis nobilitati debitos  
 sibi restitui procurarent. Rex missis suo Cancellario Domino de Bellomontio,  
 aliisque Proceribus, nomine suo illis significari jussit, sibi summopere eorum  
 conventum displicere, causam vero hujus congressus edoceri velle. Principes  
 hinc Regis monitis absterriti, ulteriora tentare non audebant, sed sua  
 gravamina, & querelas Cancellario exponentes, easdem ei scriptas dederunt,  
 ad Regem Lemovicum, ubi adhuc degebat, deferendas.

Sæcul. XV.

A. C. 1442.

Joan. Chartier. hist.  
Car. VII.

## §. XXXVI.

*Procerum Franciæ querelæ, atque  
 postulata.*

Inter cetera præcipue querebantur, pacem cum Anglis perperam differri, Judices